



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;  
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ  
propositiones, & alia

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 2. Potest-ne omnis Sacerdos licitè ministrare hoc Sacramentum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40817**



*De Sacram. Extr. Vnct. Cap. II. 225*  
dum inungitur infirmus, decedat, Presbyter  
ultra non procedat, & prädictas orationes  
omittat; quod si dubitet an vivat adhuc, unc-  
tionem prosequatur sub conditione, pronun-  
ciando formam dicens: *Si vivis, per istam*  
*sanctam Vnctionem, &c.*

## CAPUT II.

*De Ministro hujus Sacramenti, & de  
iis quibus conferri debet.*

Quaest. 1. **Q**UISNAM est Minister hu-  
jus Sacramenti?

Resp. Solus Sacerdos, juxta hæc Divi Ja-  
cobi verba, *Inducat Presbyteros Ecclesia*; nec  
alteri à Sacerdote, etiam in articulo necessi-  
tatis, competit hoc Sacramentum ministrare,  
ut definitum est in Concilio Tridentino, his  
verbis. *Si quis dixerit proprium Extrema-  
Vnctionis Ministrum, non esse solum Sacer-*  
*dotem: Anathema sit.*

Concil. Tri-  
dent. sess. 14.  
De Extrem.  
Unct. Can. 4.

Quaest. 2. Potest-ne omnis Sacerdos licitè  
ministrare hoc Sacramentum?

Resp. Solus proprius Sacerdos est verus, &  
ordinarius Minister hujus Sacramenti, ut ait  
sanctus Carolus. *Nec verò, inquit, tamen*  
*cuius id ex sacris Decretis administrare licet:*  
*sed proprio Parocho qui jurisdictionem habeat,*  
*aut alteri, cui ille superiorve ministrandi Sa-*  
*cramenti facultatem ex causa dederit.*

S. Carol. Act.  
p. 4. In-  
struc. Ex-  
trem. Unct.

Et Concilium Mediolanense quintum ait,  
*Si porro is impeditus, aut aliàs in mora est;*  
*mortisque periculum instat, tunc Sacerdos*  
*alius ministret licitè.*

Titul. Quæ  
pertinent ad  
Sacram. Ex-  
trem. Vnct.

Et in Clementinis, *De Privilegiis & excessi-*  
*bus privilegiorum, Capite Religiosi, sic*



habetur Religiosi qui Clericis aut Laicis Sacramentum Vnctionis Extrema ministrare, non habita super his Parochialis Presbyteri licentiâ speciali, presumpserint, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, per sedem Apostolicam duntaxat absolvendi.

Quaest. 3. Quodnam est Officium Parochi circa hoc Sacramentum?

Resp. Ut ait sanctus Carolus in Concilio Mediolanensi primo, *Extrema-Vnctionis Sacramentum curet Parochus, ut aegroto, dum integris est sensibus, adhibeatur.*

Et in Concilio Mediolanensi quinto dicitur: *Parochus ad omnem hujus Sacramenti in tempore administrandi diligentiam, praeterquam quod praecipua cura sua, qua sancta sollicitudinis plena est, Officio valde admodum perpetuo excitetur: proposito etiam sibi exemplo sanctissimi Episcopi Malachia accendatur, qui tam vehementi animi dolore ex eò affectus est, quod culpâ suâ mulier quaedam Sacramenti hujus gratiâ fraudata decesserit, ut totam noctem orando, gemendo, lacrymando consumpserit, lacrymarumque vi, quasi maximo imbri, pro oleo sancto quod non ministravit, mortuam perfuderit: Manè autem exaudivit Dominus sanctum suum, ita ut illa è morte tanquam è somno excitata, è lecto sese erigens, Sacramentum hoc ab eo acceperit, ac deinceps à morbo convaluerit.*

Parochus, ut ait idem sanctus Carolus in Concilio Mediolanensi tertio, *in Sacramento Extrema-Vnctionis ministrando, aegro, ceterisque praesentibus explicet vim illius & utilitates, tum ad animæ salutem, tum etiam ad corporis valetudinem, si hæc ad æternam gloriam profutura sit.*

Denique, ut dicitur in Concilio Mediola-